

NOTES ET DISCUSSIONS

Duae exercitationes criticae in Phylarchum

1. Phylarchi verba in FGrHist 81 F 4a ab Athenaeo (8, 6, p. 333 A) satis turbata exhibita apud Jacoby ita leguntur : Καὶ Φύλαρχος δ' ἐν τετάρτῃ ἑωρακέναι τινὰς [πολλαχοῦ τὸν θεὸν ὕσαντα ἰχθύσι] ** πολλάκις δὲ καὶ γυρίνοις τοῦ αὐτοῦ συμβαίνοντος καὶ ἐπὶ βατράχων. Piscium vero exemplum Athenaeus solum e Phaenia hausisse videtur. Deinde idem scriptor similia prodigia apud alios historicos reperta adiungit. Phylarchum autem de locustis ¹ egisse perclare e glossarii fragmento (Pap. Ox. XV 1801, col. II 43-44, vide FGrHist 81 F 4b) apparet, ubi Jacoby insuper κ[α]λ[ὶ] β[α]τρά[χ]ους? procul dubio recte coniecit [« P. Ox. 1801 und Phylarchos », *Hermes* 58 (1923), p. 239-240]. Ranarum longior mentio fit apud Heraclidem Lembum (vide ibidem apud Athenaeum). Quoad καὶ ἐπὶ βατράχων attingit, illa verba, quippe quae constructioni sententiae noceant, explicationis causa rarae voci γυρίνοις a glossatore addita esse videntur, quare iam Dobree ea secluserit. Ergo Phylarchi fragmentum fortasse hoc modo restitui potest : Καὶ Φύλαρχος δ' ἐν τετάρτῃ ἑωρακέναι τινὰς πολλαχοῦ τὸν θεὸν ὕσαντα ἀκριδῶν πολλάκις δὲ καὶ γυρίνοις τοῦ αὐτοῦ συμβαίνοντος [καὶ ἐπὶ βατράχων].

2. Locum corruptum ὡς Ἀθηνᾶς ἴπειραν εἶδος ἔχουσαν in FGrHist 81 F 21 emendare laudabile institutum erat, sed hic nihil aliud propono quam Schweighaeuseri coniecturam φασὶ pro φησὶ a codicibus tradito in Athenaei textu legere. Jacoby (comm. ad loc.) licet de Phye relatam historiam aliter ac Mueller Phylarcho tribuere noluerit, in editione tamen φησὶ retinuit. Mihi autem cum Schweighaeusero et Johanne Friederico Luchtio (*Phylarchi Historiarum fragmenta*, Lipsiae, 1836, p. 65-66) non dubium videtur φασὶ legendum esse.

Koen VANHAEGENDOREN

Université de Thessalie (Volos/Grèce)

Parodos Perraïbou, 39A

GR-38222 Volos

¹ Cf. etiam Jehan DESANGES, « Un curateur de la sauterelle sur la *pertica* de Carthage en 48/49 de notre ère », *BCTH* (B) 10 (1974), p. 135-141 [et *Eos* 64 (1976), p. 281-286], ubi de hominum valetudine amissa ob locustas in antiquis temporibus certius cognosces.